



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Sectio IV. Vtrùm vnio possit componi cum peccato veniali habituali?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

fert à voluntate nostra; cui licet in aliquo statu infantia aut amentia repugnet peccatum, tamen perse illi non repugnat; voluntati autem Christi repugnat perse.

§. 34. Potuit humanitas Christi carens omni supposito, vel terminata creato peccare in Adamo, & in se contrahere peccatum illud, deinde verò supposito vniri diuino. quod peccatum vnione ipsa detergeretur. in eo casu an verè diceretur Christum peccasse; quæstio est de nomine. Qui censent hominem in recto significare suppositum, & in obliquo connotate naturam in hoc mysterio; dicent Christum, aut hunc hominem, numquam peccasse: ad id enim opus est vt humanitas in sensu composito vnionis sit peccato subiecta. quibus ego subscribo. Qui verò fatentur, hominem etiam in Christo in recto significare naturam, dicent hunc hominem peccasse.

SECTIO IV.

Utrum vnio possit componi cum peccato veniali habituali?

§. 35. **D**ico Primò, vnionem ex natura rei non posse componi cum eo peccato: quia vnio ex natura rei constituit animam perfectè beatam: quia propter vnionem perfunditur visio Dei, & amore intensis infinitè: cum ijs autem actibus pugnat omnino omne peccatum.

§. 36. Dico Secundò: Vnio ratione sui ita pugnat cum peccato veniali, vt neq; diuinitus possit cum illo componi. Hæc sententia frequens est apud recentes. Quam probant Primùm; quia humanitas redditur Verbo infinite sancta: sed cum sanctitate infinita non potest componi peccatum veniale: ergo neque in humanitate cum Verbo. Verùm ipsi non tenent consequentiam: censent enim humanitatem esse sanctam absolute finitè; infinite verò secundùm quid: sed cum sanctitate infinita secundùm quid poterit componi peccatum: ergo.

SVBSECTIO I.

Examinantur aliquorum argumenta.

§. 37. **D**icent Primùm, sanctitatem humanitatis Christi esse moraliter infinitam concretè, quamuis non physicè: physicè autem esse maximam omnium, quæ possunt excogitari: at excogitari potest aliqua, cui repugnet compositio cum peccato veniali: ergo. Respondeo, illam moralem infinitudinem esse comparatione præmiorum, quæ debentur Christo, vt homini, sine termino: at verò in ordine ad complacentiam Dei in horum sententia non est nisi finita: sed cum obiecto complacentiæ finitè rectè potest componi peccatum veniale: ergo & cum gratia vnionis. Fateor nullam aliam gratiam posse excogitari maiorem: at excogitari potest perfectior modus communicationis, ratione cuius modi in hac sententia iustificat finitè: ergo ex hoc capite non opponetur peccato veniali. perfectior autem modus se communicandi excogitatur in ipso Deo, in quo communicatur per identitatem. Quo argumento ij au-

ctores mouentur ad negandam humanitatè Christi esse concretè infinite sanctam, & in omni genere: ergo prementur eodem ad asserendum humanitatem esse capacem peccati venialis. Illam autem esse sanctissimam inter omnes creaturas quid interest, cum sit comparatio inter finita? vt homo est perfectissimum inter animalia; finitum tamen animal est, multasque capit animales imperfectiones. Item, si est possibilis substantia supernaturalis, est perfectiori modo sancta: quia est sancta per identitatem substantialem; humanitas autem non nisi per modum distinctum: est autem perfectior ratio se communicandi per identitatem, quàm per modum distinctum: ergo illi non probant oppositionem vnionis hypostaticæ cum peccato veniali.

§. 38. Dicent Secundò, visionem beatam non posse componi cum peccato veniali actuali: ergo neque vnio, quæ maior sanctitas est quàm visio. Primùm respondeo, antecedens esse dubium de potentia absoluta, qua aliqui censent posse componi visionem Dei cum peccato habituali. Vnde retorqueo argumentū, ea cum vnione posse quoque componi. Secundò respondeo, repugnantiam visionis & peccati oriri non ex conceptu sanctitatis, sed beatitatis, quæ non patitur vllam animi miseriam. Hinc nego consequentiam: quia melior est gratia sanctificans, quàm visio beata: & tamen cum gratia componi potest peccatum veniale: ergo non rectè arguitur à maiori sanctitate. Ratio est, quia visio non opponitur peccato veniali, quia sit forma sanctificans.

§. 39. Alij censent hanc oppositionem: quia non implicat aliqua gratia impossibilis diuinitus cum peccato veniali: ergo hæc est impossibilis: quia si qua est possibilis, maximè hæc omnium possibilium perfectissima. Hoc argumento passim vtuntur: cui neruos præcidam disp. 60. sect. 4. §. 24. In præsentia autem distinguo antecedens: non repugnat sanctitas impossibilis cum peccato veniali in subiecto, aut quasi subiecto, cui communicatur per identitatem; concedo antecedens, & consequentiam. Sanctitas enim Dei talis est, quæ in Deo, in quo est per identitatem, nullum omnino patitur peccatum: quia illum reddit sanctum in omni genere infinite. Talis item est substantia supernaturalis (si est possibilis) non quòd sit sanctitas infinita, sed quia nullum potest efficere actum nisi supernaturalem: at nullus actus supernaturalis potest esse peccatum veniale actuale, quod in illa substantia est maximè clarum, quæ non haberet principium naturale quo vitaret supernaturalem affectum. at sine peccato actuali non potest esse habituale: ergo. Si verò sanctitas sit alicui communicanda per modum ab illa distinctum; nego antecedens, & dico eo non probari hanc peccati repugnantiam: compositio enim non oriretur ex imperfectione gratiæ, sed modi, quo communicaretur. Et quia gratia vnionis communicatur modo distincto ab ipsa sanctitate, ideo dicent aduersarij non repugnare illius in humanitate cum peccato veniali compositionem. Vt autem statuunt ij auctores, non repugnare gratiam impossibilem cum peccato veniali, opus est vt ostendant effectū formalem talis gratiæ, vt inde probetur impossibilitas cum peccato. Alioquin dicent non repugnare aliquam substantiam completam, cui re-

S. Thom.
2. 2. 1. 1.

pugnet simul existere cum lapide aut ligno : quia illius productio penderet essentialiter à decreto efficaci Dei de non producendo lapide.

SVBSECTIO II.

Primum argumentum.

§. 40. **C**onclusio præmissa §. 36. probatur Primum : quia disp. 47. latè probavi, humanitatem in concreto esse infinitè sanctam in omni genere, si consideretur sanctitas quoad substantiam : sed cum hac sanctitate in concreto non potest componi peccatum veniale : ergo. Probo Minorem : quia quod in vno genere placet infinitè, non potest in illo genere displicere : quia complacentia opponitur displicentiæ in eodem obiecto : vnde deducitur obiecta illorum actuum opponi. Quo autem maior est complacentia, magis opponitur displicentiæ : ergo complacentia in omni genere simpliciter infinita, opponitur infinitæ displicentiæ in aliquo genere. Sed infinita oppositio vinci non potest : ergo. Quo differt hæc oppositio à qualitatibus intensis infinitè : quæ finitæ simpliciter sunt ; infinitæ autem secundum quid : ob quod illarum repugnantia vinci potest à Deo. Confirmatur. De ratione sanctitatis est reddere subiectum dignum amore Dei, & indignum displicentiæ Dei : ergo sanctitas vndique perfecta reddit subiectum vndique amabile, & nulla ex parte dignum displicentiæ. Quia si qua ex parte relinqueret subiectum dignum displicentiæ, ea ex parte non sanctificaret perfecte : sed sanctitas Dei reddit humanitatem vndique perfecte amabilem : ergo opponitur peccato veniali, ratione cuius esset obiectum alicuius displicentiæ Dei.

§. 41. P. Iosephus Ragusa disp. 114. §. 3. hanc doctrinam non paucis impugnat, arbitratus hanc oppositionem non oriri ex infinitudine sanctitatis. Ac Primum in vers. *Secundum fundamentum*, videtur admittere, hanc repugnantiam non oriri ex vnione, vt oritur in gratia habituali oppositio cum peccato mortali : quia gratia vnitur animo per inhaerentiam physicam, & vt vera forma, Verbum autem non vnitur humanitati vt vera forma, neque per inhaerentiam. Fortè hoc argumentum impugnat sanctitatem moralem humanitatis à Verbo, quam asseruere nonnulli : placet tamen illud refellere, ne dissimulatum nostræ repugnet opinioni. Et quidem hypostasis Verbi tam physice vnitur humanitati, quam animo gratia. Item illa vnio tam verè dependet subiectiue ab humanitate, quam vnio gratiæ ab animo : neque minùs, quam vnio corporis & animi pender subiectiue ab aliquo extremo, vel ab vtroque. Quod genus vnionis præstat physicos formales effectus non minùs, quam inhaerentia : vt enim corpus est album per inhaerentiam, ita est animatum per dependentiam animæ irrationalis verè ab illo dependentis, vt à subiecto. Et quamuis Verbum non vnitur vt forma, vnitur tamen formaliter, id est, est extremum immediatè vnitum, siue per se ipsum vnitum vt extremum. Quod genus vnionis præstat quasi formales effectus, non minùs quam si extremum esset forma. Humanitas enim tam verè, formaliter & proprie est subsistens in Christo, quam in puro homine : ita est physice sancta. Et quemadmodum frequenter

dicitur humanitas, non posse simul aliam substantiam creatam terminare : quia quæuis substantia opponitur alij substantiæ creatæ ; ita opponitur sanctitas peccato. Nihil igitur obest huic oppositioni carentia inhaerentis : quia illa vnio verè & subiectiue ab humanitate dependet.

§. 42. Secundò, idem auctor vers. *Tertium dictum*, ait oppositionem cum peccato veniali conuenire etiam gratiæ habituali, quando est in statu perfecto charitatis, & visionis Dei. Quòd si aliquando illud peccatum cum ea gratia componitur, est ex imperfectione subiecti carentis perfecto illius gratiæ exercitio. Contrà : Id non obest oppositioni peccati venialis cum vnione : quia si gratiæ creatæ propter suam perfectionem conuenit oppositio cum omni peccato : ergo multò melius conueniet ea oppositio vnioni, quæ est perfectissima gratia : quæ sola multò magis placet, est que perfectior quam gratia habitualis in statu sibi perfectissimo. Quod pater : quia Christus, vt homo, Deo tantum placet, vt ratione vnionis illi decreuerit gratiam habitualem, visionem Dei, & actus charitatis infinitæ intensiois, vel saltem maximæ inter omnes, quas creare decreuit. Deinde probo compositionem gratiæ cum peccato veniali oriri ex imperfectione ipsius gratiæ : quia effectus formalis gratiæ non est tam perfectus, vt occupet totum subiectum, vt illud occupat vnio hypostatica. Rationem que reddo ex Origene & S. Augustino adductis §. 19. quia vnio hypostatica est vnguenti substantia, quo humanitas imbuta non potest capere liquorem alium ; gratia autem habitualis est odor vnguenti, quo minùs occupatur vas. Significant autem hi Doctores diuersam rationem sanctitatis ab vnione, & à gratia habituali. Quòd si gratia esset perfectior, oppoueretur perfectius omni peccato. Adde, carentiam illam exercitij perfecti oriri ex imperfectione ipsius gratiæ, quæ nec physice, nec moraliter rapit potentias in visionem amoremque Dei : vnio autem illas moraliter rapit id est, ratione illius Deus iure connaturali perfundit potentias illis actibus. Tandem concludo, vnioni ratione sui repugnare peccatum veniale, licet idem repugnet gratiæ habituali : quia huic eò quòd est gratia sanctificans, opponitur peccatum mortale ; item huic in statu perfecto opponitur peccatum veniale : hæc autem non obstant, quo minùs mortale opponatur vnioni, quia est gratia sanctificans non minùs quam illa : ergo non oberunt, quo minùs eidem vnioni opponatur peccatum veniale : quia secundum se non est minùs perfecta, quam gratia habitualis in quocumque statu : in nullo enim placet infinitè Deo ; vnio verò secundum se placet infinitè simpliciter.

§. 43. Tertio, ait hic auctor, vnionem hypostaticam ratione sui non posse esse rationem expellendi ab anima voluntarium virtuale, aut interpretatiuum repertum in peccato veniali : quia vnio non est voluntaria. Contrà : Neque item expellit voluntarium interpretatiuum, repertum in peccato mortali : quia non est voluntaria ; & tamen illud expellit ratione sui : ergo etiam veniale peccatum expellet. Existimant nonnulli, posse habituale peccatum expelli gratia habituali nullâ præeunte retractatione peccatoris : quia si diuinitus infundatur gratia, reddat subiectum amicum Dei. Idem censent de vnione hypostatica. Opinantur alij non posse peccatum

habituali personale remitti sine retractatione peccatoris: quia habitus non sunt voluntarij. In qua sententia non potest infundi habitualis gratia non præcurrente retractatione: quia censent non posse diuinitus componi peccatum mortale cum gratia. idem dicunt de vnione hypostatica. Ob quod si præcessisset in humanitate peccatum veniale, non posset illa humanitas vniri Verbo, nisi prius retractato peccato. at verò vnio ex suo formali conceptu pugnat cum peccato veniali: sicut gratia cum mortali. Est igitur ratiocinandum de voluntario repperio in peccato veniali actuali, sicut de voluntario habitualis peccati mortalis, comparatione gratiæ habitualis: ita vt vnio veniale expellat, sicut gratia mortale.

§. 44. Quare idem auctor vers. *Dicent forte*, videtur indicare, oppositionem cum peccato non conuenire gratiæ sanctificanti ex conceptu specifico gratiæ, sed ex generico: quia, vni vnum tantum est contrarium. Vnde deducet, vnioni non conuenire oppositionem cum peccato ex conceptu specifico vnionis, sed ex generico gratiæ sanctificantis. Contra: Hoc argumentum probat vnionem ex specifico suo conceptu opponi habituali peccato: quia gratia sanctificans vt sic, & peccatum veniale habitualè non opponuntur immediatè ratione formalium effectuum: alioquin omnis gratia sanctificans, & omne peccatum veniale illa ratione essent opposita; quia quod conuenit generi, conuenit speciebus: sed gratiæ habituali non conuenit illa oppositio cum peccato veniali: ergo illa oppositio non conuenit gratiæ sanctificanti vt sic: ergo licet conueniat vnioni ex conceptu specifico, non conuenit vni contrario duo, sed vnum. Adde, oppositionem cum peccato mortali conuenire etiam alicui gratiæ non sanctificanti formaliter, nempe visioni Dei, (quæ in sententia communiori non est forma sanctificans,) ergo vni plura sunt contraria. Neque mirum: quia vna forma potest habere formalem effectum oppositum multis: vt albedo opponitur nigro, fusco & viridi: error opponitur scientiæ; & opinioni probabili: peccatum, quia est miseria, opponitur visioni beatiæ; quia verò est inimicitia cum Deo; opponitur gratiæ sanctificanti hæc autem opponitur non vni, sed omni peccato mortali. Vni autem vnum est contrarium in primis qualitatibus elementorum: frigori enim solus opponitur calor: siccitas enim illi non opponitur, vt patet in terra sicca, & frigida: nec item illi aduersatur humor, vt constat in aqua humida, & frigida. In alijs autem rebus vni possunt esse multa contraria. Tandem gratiæ sanctificanti vt sic ratione sui conceptus formalis conuenit oppositio cum peccato; ratione autem specifica conuenit maior aut minor oppositio: gratiæ quidem habituali cum peccato mortali sola oppositio ex natura rei, in multorum sententia; cum veniali autem oppositio solum remota mediâ visione Dei: vnioni autem hypostaticæ conuenit oppositio immediata cum vtroque etiam comparatione potentie absolute. Quod si velis hanc oppositionem esse ex conceptu sanctitatis vt sic, non grauabor, dum eam admittas in vnione hypostaticæ: cætera verò nunc minime curo.

§. 45. Eadem oppositio vnionis hypostaticæ cum peccato veniali probatur Secundo etiam à priori: quia vnio hypostatica constituit Christum, vt hominem, filium naturalem Dei: cui protinus debetur hereditas paterna: ergo non potest cum vnione peccatum veniale componi. Probo consequentiam: quia non potest esse titulus iustæ dilationis, cum titulo ad hereditatem eodem momento capessendam: non aliter quam non possunt esse simul duo tituli, alter ad vitam, alter ad necem, vt probaui §. 23. Si ergo hoc momento condignè deberetur visio Dei, non potest esse in Christo titulus, quo iuste eodem momento visione priuetur: iam enim non deberetur. Antecedens autem probo: quia filio naturali statim debentur bona paterna, quæ non pugnant cum dominio aut vita parentis; vt honor, alimenta, aliæque id genus: obeunte autem parente, non potest hereditas iuste differri; sed eodem momento est dominus rerum paternarum, quæ ad illius spectant hereditatem: sed Deus communicat filijs bona sine dispendio dominij, & cum Dei vita compossibilia: ergo filio naturali non solum debentur in substantia, sed etiam eodem momento, quo filius naturalis est. Quæ possunt obijci, recognosce §. 27. & 28.

§. 46. Obijcis Primum: Christus negata fuit gloria corporis, cum tamen esset filius naturalis: ergo etiam poterit negari aliquo tempore visio. Distinguo antecedens: negata fuit gloria corporis, quia eo tempore erat illa indignus, nego antecedens & consequentiam: negata fuit, quia Deus voluit eam differre, concedo antecedens & consequentiam. Ego enim non dico pugnare comparatione potentie absolute carentiam hereditatis cum dignitate; sed pugnare dignitatem, & indignitatem: qui autem habet peccatum veniale, est indignus vita æterna pro illo instanti aut tempore, in quo est cum tali peccato: debetur autem illi simpliciter vita æterna: quia in solo peccato veniali nullus iustus potest æternum perennare. Huius autem dilationis non potest esse dignus filius naturalis Dei propter perfectionem illius filiationis.

§. 47. Obijcis Secundo: Christus, vt homo, in sensu composito filiationis naturalis potuit diuinitus esse indignus vita æterna pro aliquo instanti: ergo hinc non rectè probatur vnionis oppositio cum peccato veniali. Probo antecedens: quia potuit diuinitus vniri Verbum humanitati existenti prius in peccato mortali, aut veniali: in qua posset manere reatus ad breuem aliquam carentiam vitæ æternæ. Nego antecedens. Ad probationem, respondeo vnione fore dimittenda omnia peccata tantum quoad culpam, quam quoad pœnam: quia illa remissio esset infinita: quæ se sola magis placet Deo, quam gratia habitualis cum omnibus suis habitibus & actibus in quacumque intensione, vt dixi §. 41. sed ratione eius complacentiæ Deus remittit non solum culpas, sed & omnes etiam pœnas, quando gratia exercetur in gradu certo perfectionis: ergo multò melius condonantur omnes pœnæ per vnionem hypostaticam. Vnde neque reatus, neque condignitas ad pœnam, neque dignitas ad vitam

SUBSECTIO III.

Secundum doctrinæ fundamentum.

§. 45. Eadem oppositio vnionis hypostaticæ cum peccato veniali probatur Secundo etiam à priori: quia vnio hypostatica constituit Christum, vt hominem, filium naturalem Dei: cui protinus debetur hereditas paterna: ergo non potest cum vnione peccatum veniale componi. Probo consequentiam: quia non potest esse titulus iustæ dilationis, cum titulo ad hereditatem eodem momento capessendam: non aliter quam non possunt esse simul duo tituli, alter ad vitam, alter ad necem, vt probaui §. 23. Si ergo hoc momento condignè deberetur visio Dei, non potest esse in Christo titulus, quo iuste eodem momento visione priuetur: iam enim non deberetur. Antecedens autem probo: quia filio naturali statim debentur bona paterna, quæ non pugnant cum dominio aut vita parentis; vt honor, alimenta, aliæque id genus: obeunte autem parente, non potest hereditas iuste differri; sed eodem momento est dominus rerum paternarum, quæ ad illius spectant hereditatem: sed Deus communicat filijs bona sine dispendio dominij, & cum Dei vita compossibilia: ergo filio naturali non solum debentur in substantia, sed etiam eodem momento, quo filius naturalis est. Quæ possunt obijci, recognosce §. 27. & 28.

§. 46. Obijcis Primum: Christus negata fuit gloria corporis, cum tamen esset filius naturalis: ergo etiam poterit negari aliquo tempore visio. Distinguo antecedens: negata fuit gloria corporis, quia eo tempore erat illa indignus, nego antecedens & consequentiam: negata fuit, quia Deus voluit eam differre, concedo antecedens & consequentiam. Ego enim non dico pugnare comparatione potentie absolute carentiam hereditatis cum dignitate; sed pugnare dignitatem, & indignitatem: qui autem habet peccatum veniale, est indignus vita æterna pro illo instanti aut tempore, in quo est cum tali peccato: debetur autem illi simpliciter vita æterna: quia in solo peccato veniali nullus iustus potest æternum perennare. Huius autem dilationis non potest esse dignus filius naturalis Dei propter perfectionem illius filiationis.

§. 47. Obijcis Secundo: Christus, vt homo, in sensu composito filiationis naturalis potuit diuinitus esse indignus vita æterna pro aliquo instanti: ergo hinc non rectè probatur vnionis oppositio cum peccato veniali. Probo antecedens: quia potuit diuinitus vniri Verbum humanitati existenti prius in peccato mortali, aut veniali: in qua posset manere reatus ad breuem aliquam carentiam vitæ æternæ. Nego antecedens. Ad probationem, respondeo vnione fore dimittenda omnia peccata tantum quoad culpam, quam quoad pœnam: quia illa remissio esset infinita: quæ se sola magis placet Deo, quam gratia habitualis cum omnibus suis habitibus & actibus in quacumque intensione, vt dixi §. 41. sed ratione eius complacentiæ Deus remittit non solum culpas, sed & omnes etiam pœnas, quando gratia exercetur in gradu certo perfectionis: ergo multò melius condonantur omnes pœnæ per vnionem hypostaticam. Vnde neque reatus, neque condignitas ad pœnam, neque dignitas ad vitam

S. Thom.
q. 15. a. 13.

vita

S. Thom.
q. 15. a. 1.

virtuperationem; denique nulla pœna, ut pœna peccati commissi ab ea humanitate, potest de potentia absoluta componi cum vnione hypostatica.

SECTIO V.

Utrum peccatum actuale possit cum vnione componi?

SVBSECTIO I.

Conclusio.

§. 48. **S**cotus, & alij adducti §. 11. arbitrantur vnionem hypostaticam non posse ex natura rei cum actuali peccato componi: quia non potest ex rei natura priuari vnione, & charitate Dei: cum quibus actibus minime possunt peccata componi actualia, quantumuis leuia. Addunt præterea, posse humanitatem diuinitus illis actibus carere: in eo autem euentu censent illam posse cum vnione hypostatica peccatum componere. Fundamentum expendam à §. 67. Ego existimo nullo modo etiam de potentia absoluta posse componi vnionem hypostaticam cum vno actuali peccato. Ita censent auctores adducti §. 18. & 19. Itaque siue Christus, ut homo, ornatus sit actibus habituum per se infusorum; siue careat omni accidenti supernaturali, sitque cum sola vnione: item siue illa vnio sit in humanitate simul cum alio supposito creato, siue cum solo increato; ea humanitas in sensu composito vnionis est incapax vllius peccati: & implicentur termini in vnione hypostatica & peccato. Quamuis autem hæc certa sunt apud multos; ratio tamen non est omnibus certa.

SVBSECTIO II.

Ratio à supposito operante.

§. 49. **M**edina in q. 15. a. 1. Nazarius ibidem, Aluarez disp. 68. verustioresque Thomista: P. Ragula disp. 114. §. 4. & alij censent, humanitatem non posse componere peccatum cum vnione hypostatica, quia actiones sunt suppositorum ut quod: sed peccatum non potest esse à supposito diuino ut quod: ergo non potest esse ab humanitate in sensu composito vnionis: quia esset à Deo ut quod. Confirmatur, quia omnis actio vitalis dicit ordinem ad suppositum, ut ad principium intrinsecum operans in seipso: sed peccatum actuale est actio vitalis: ergo dicit ordinem ad suppositum ut quod operatur in seipso. Hinc deducunt esse blasphemum, asserere Deum posse peccare. Quo argumento vtuntur Bonauentura in 3. dist. 12. art. 2. q. 1. S. Thomas ibidem q. 3. & Magister eadem dist. 12.

§. 50. Respondeo, verissimum esse Deum non posse peccare, nec per communicationem idioma- tum: at verò illa ratio mihi non probatur: si enim nulla alia esset, nisi quod peccatum de Deo prædicaretur per idioma communicationem, illa prædicatio non esset absurda: quia de Deo prædicantur ratione idiomatum alia non minus repugnanti Deo secundum se, quam peccatum: ergo

posset etiam prædicari peccatum. Probo antecessens: quia de Deo communicatione idiomatum prædicatur mors, tristitia, & alia; quæ non minus pugnant cum immortalitate, & impassibilitate Dei, quam peccatum cum sanctitate. Vt ergo Verbum propter vnionem cum humanitate peccante: dicitur mori, ita diceretur peccare propter vnionem cum eadem humanitate peccante: cur ergo hoc magis repugnat quam illud?

§. 51. Respondent discrimen esse ratione idiomatum: Verbum habet specialem influxum in opera humanitatis: hunc autem præstare potest in mortem, tristitiam, aliosque physicos defectus: at verò non potest hunc specialem influxum habere in peccatum: ad quod Deus non potest concurrere nisi ut causa vniuersalis, non verò ut particularis: at verò suppositum est: causa particularis operationum naturæ, quam terminat: ergo Deus non potest etiam ratione idiomatum dici peccare: quia esset causa particularis peccati. Contrà Primò: Ergo si humanitas esset in proprio supposito, & simul terminaretur diuino, posset cum illo componere peccatum. Probo consequentiam: quia tunc suppositum diuinum haberet communicationem idioma- tum per solam vnionem, sine speciali influxu in actiones humanas. Omnis enim necessarius influxus esset ab humano supposito illum impedi- ente à diuino: ille enim specialis influxus non potest naturaliter esse à duabus causis adæquatis: vna enim est factis. Influxus in alias operationes distinctas à peccato posset esse ab vtroque supposito; ut vnus effectus à duabus causis adæquatis: at verò non est necesse ut sit ab vtraque: ergo peccatum non tribueretur tunc Verbo. Probo consequentiam: quia illa operatio haberet tunc causam adæquatam adæquatè distinctam à Verbo: aliunde verò Verbo repugnat in illam specialis influxus: ergo Verbum non diceretur peccare, nisi per puram communicationem idioma- tum. Quod si velis ad prædicationem ratione idiomatum requiri & vnionem cum natura operante, & specialem influxum in effectus eiusdem naturæ; Respondeo tunc componi peccatum cum vnione hypostatica, quin denominatiue nec diceretur peccare aut mori: quia quamuis esset vnio cum humanitate, non tamen esset specialis influxus à Verbo in humanitatis effectus. In mea quidem sententia etiam Verbum diceretur tunc mori, aut peccare: quia ad hoc non exigitur nisi vnio: ut dicam disp. 60. à §. 13.

§. 52. Deinde eam rationem impugno: Hypostasis non habet specialem influxum in operationes humanitatis, sed tantum est conditio necessaria, ut existat humanitas: sed hoc genus cause particularis exerceri potest à Verbo etiam si humanitas peccet: ergo. Hæc minor propositio infra probabitur, §. 55. Probo autem Maiorem: Primùm ab exemplo inhesionis atque subiecti: quæ nullum habent influxum in effectus ab accidente productos, sed præcisè in qualitate operantem tales effectus. Quod patet in Eucharistia; cuius accidentia ante & post consecrationem operantur eadem actione, eodemque more: videntur, sentiuntur: denique quidquid antea efficiebant, efficiunt & postea. itaque totus influxus subiecti & inhesionis versatur circa qualitatem inhaerentem subiecto; præter quod nihil agunt in effectus qualitatis eiusdem. Quod maxime probo in aqua calida, quæ non influit im- mediare